

tionem, vel fuit levis, & excusat a tanto peccato, sed non a toto, neque a tota restitutione. Vide de Restitut. in genere.

R. 2. (*Ibid. ad 2.*) Quando Advocatus in principio credit causam esse justam, & postea in processu apparet esse injustam, per se loquendo non debet eam proderet, ut scilicet aliam partem juvet, & secreta suae causae illi revelet, hoc enim esset quadammodo agere contra fidem secreti; debet tamen causam deserere; vel clientem inducere ad cedendum, sive ad componendum, sine adversarii damno. Non videtur autem in hoc casu posse fieri compositionem, sine adversarii damno, nisi forte circa expensas. Et ideo graviter peccat & tenetur ad restitutionem Advocati & Procuratores, qui, dum vident apertè causam esse injustam, inducant partes ad transigendum, seu componendum circa rem ipsam, de qua lis est, cum damno alterius: huiusmodi enim transactiones non fiunt, nisi in causis dubiis.

Dixi in respons. quòd non debeat prodere causam sui clientis *per se loquendo*; quia per accidens, si inde parti adversae immineret grave damnum, tenetur prodere, ut illud impediretur, cum aliunde talis revelatio vix, aut ne vix noceat suae parti.

Sed quid de Advocato, qui fraudibus & mendaciis defendit causam iustam? R. Si causa sit constanter & evidenter iusta, non peccat contra iustitiam, nec tenetur ad restitutionem, quia parti adversae non facit injuriam, quia potius ab iniustitia praeservat; peccat tamen contra iustitiam legalem, & facit injuriam Reipublicae, quatenus pervertit iudicium publicum: sed inde non nascitur obligatio restituendi.

Quaeritur 4. Utrum Advocatus possit suscipere causam dubiam, aut minus probabilem? R. Quando causa est dubia propter aequalem utrinque probabilitatem; aut etiam quando una est minus probabilis, potest Advocatus utramvis defendere, saltè in civilibus. Est communis. Ratio est, quia Advocatus non profert Sententiam, nec iudicem profert cogit, sed tantum proponit, quae sui clientis jus probare & firmare possunt: haec autem proponere in causa probabilis, aut etiam minus probabilis, non est injustum, quia potius utile, ut causa a iudice melius expendatur & dirimatur. Confirmatur, Pars, cujus causa est probabilis, aut etiam minus probabilis, habet jus experiendi in iudicio: forte enim, quod ipsi, aut Advoca-

to videtur minus probabile, videbitur iudici probabilis, & aliquando quod in principio litis erat minus probabile, fit in decursu ex rationibus propositis magis probabile: ergo potest illum adjuvare Advocatus.

Si dicas, ex hac ratione sequi, quòd Advocatus possit defendere causam injustam, quia quod apparet ipsi injustum, potest iudici apparere justum. R. N. Illationem; quia, quando reputat causam absolutè injustam, non potest illam defendere nisi per falsitates & mendacia cum injuria partis adversae.

Observa tamen, quòd tenetur Advocatus monere suum clientem huius dubietatis & periculi, quod incurrit; alias foret causa damnorum inde sequentium, quorum periculum forte clientis noluisse subire, si illius fuisset conscius.

Dixi: *Saltè in civilibus*; quia in criminalibus, quando agitur de vita, membris, honore, non pauci existimant Advocatum peccare contra charitatem, si causam accusatoris dubiam, aut minus probabilem suscipiat; quia iniquum, ipse actor peccat contra charitatem vexando reum aequè probabili, aut probabiliori iuri nixum, ipsumque poenae adeo gravi subijciendo, cum potius illi, utpote in extrema, vel gravissima necessitate existentis, succurrere deberet. Ita Soto, Lessius, Sylvius & alii.

Quaeritur 5. Utrum liceat Advocato pro suo patrocinio pecuniam recipere? R. Affirmative: (*Ibid. a. 4. o.*) Quia quis potest accipere compensationem pro iis operibus, quae exhibere alteri non tenetur; manifestum est autem, quòd Advocatus non semper tenetur patrocinium praestare: ergo. Et eadem ratio est de Procuratore, Notario, Medico, Chirurgo, & similibus, dum tamen moderatè accipiant, considerata conditione personarum, negotiorum, & laboris, & consuetudine Patriae. Quòd si per improbitatem aliquid extorqueant immoderatè: peccant contra iustitiam, & tenetur restituere. Sistant ergo huiusmodi personae legi vigenti, vel consuetudini probatae, si hac vel illa taxatum sit pretium; sin minus iudicio prudentum, attentis circumstantiis, ut dictum est. Non possunt autem Advocati, aut Procuratores convenire de quota parte litis pro stipendio; ne inde sumant occasionem volendi vincere per fas & nefas. L. *Sumptus ff. De pactis l. Litem c. De Procurat. & q. 7. §. Arcentur.*

DISSERTATIO XV.

De injuriis verborum, quae inferuntur extra iudicium, & obligatione restituendi inde contracta.

D. Thom. QQ. 72. 73. 74. 75.

POSTquam egimus de injuriis verborum, (Q. 72. *initio*) quae fiunt in iudicio, considerandum est de injuriis verborum, quae fiunt extra iudicium, & 1. de contumelia, 2. de detractioe, 3. de susurratioe, 4. de maledictione.

ARTICULUS I.

De Contumelia.

§. I. De Fama, & Honore.

Cum contumelia sit contra honorem & detractio contra famam, ut haec accuratius dignoscantur & distinguantur, praemittendum censeo, quid sit honor, quid fama. Quamvis enim haec duo saepe apud vulgus confundantur, distinguuntur tamen.

Fama dicitur a *Fando*. Generaliter sumpta est frequens & vulgaris sermo de re aliqua. Strictius autem sumitur, prout spectat laudem, vel vituperium alicujus, & definitur: *Opinio & sermo multorum de vita & moribus alicujus*. Dicitur 1. *Opinio & Sermo*: quia, licet forte fama, theologicè sumpta, essentialiter consistat in sola opinione & iudicio interno, non videtur tamen esse completa, nisi ista interna existimatio per verba ad extra diffundatur & manifestetur; fama enim, ut notatum est, dicitur a *Fando*. Dicitur 2. *Multorum*; quia licet opinio unius privati de vita alterius possit dici fama secundum quid, simpliciter tamen non censetur fama, nisi sit communis. Dicitur 3. *De vita & moribus*; quia virtus & vitium est proprium bonum, vel malum hominis, ob quod est laude, vel

vituperio dignus. Et ideo bona fama, de qua hic est sermo, consistit primario & principaliter in opinione virtutis. Secundario tamen etiam consistit in opinione bonorum qualitarum naturalium; vel acquisitarum, puta ingenii, scientiae, eloquentiae, opum, fortitudinis, & similibus, quae homines magni aestimant, & ex quibus famam quarunt. Mala autem fama consistit primario in opinione vitii. 2. In opinione defectuum naturalium, ut est defectus naturalium, nota in familia, paupertas &c. Et inde colliges, quòd quamvis fama mea sit radicaliter, seu fundamentaliter in me, nimirum virtus, aut vitium, formaliter tamen non sit in me; sed in hominibus, qui de virtutibus, aut vitiiis meis opinionem concipiunt, & sermonem habent.

Honor (Q. 103. a. 1. o.) est *Testificatio de excellentia alicujus*. Ita communiter post Auctorem. Dicitur 1. *Testificatio*: (*Ibid.*) & haec fit inter homines triplici modo. 1. Per verba honorifica, vocando v. gr. dominum, magistrum, eximium, sapientissimum. 2. Per actiones honorificas, ut inclinatione, genuflexione, obviatione, cessione primi loci. 3. Per res exteriores, ut per obligationem munerum, erectionem status, imaginis institutionem, collationem dignitatum, quae ideo per tropum dicuntur honores: nihil enim aliud quarunt, quam haec & similia signa suae excellentiae sibi exhiberi: qui honorari volunt inter homines. (*Ibid.*) Dico inter homines, qui coram Deo, qui est cordium inspector, possumus ejus & aliorum excellentiam sola cogitatione & interiori motu animi testari atque venerari. Istud autem testimonium debet exhiberi praesenti si non per se, saltem per aliud, quod ipsum representet: sic honoratur Rex in suo legato, Sanctus in imagine, aut

reliquis. Alioquin verba honorifica, quae de absente ut taliter profertur, magis pertinent ad famam, quam ad honorem. Item istud testimonium debet exhiberi ex opinione excellentiae & animo venerandi, alioquin erit derisio, & falsus honor.

Dicitur 2. (Q. 63. a. 3. o.) *De excellentia alicujus*. Hae porro excellentiae potissimum consistit in virtute, quia, ut dictum est, virtus est proprium hominis bonum, ob quod est laude & honore dignus. Deinde consistit in aliis perfectionibus à Deo communicatis, sive naturaliter, sive supernaturaliter, ut est potestas in principibus, aut eorum ministris, dignitas principii in Parentibus, & omnis perfectio creaturae rationalis, quatenus est participatio divinae perfectionis (Q. 103. a. 2. ad 2.) Excipi tamen demones & damnatos, qui, quia sunt irrevocabiler mali, sunt omni ignominia digni, & pro inimicis habendi potius, quam honorandi. Item ea, quae sunt effectus, aut instrumenta harum perfectionum, aut ad illas dicuntur ordinem, sunt etiam ratio honorandi: sic honorantur nobiles, quia nobilitas ortum habet ex praclarè gestis: sic honorantur divites, quia divitiis praebent facultatem ad praecleara opera, & possunt esse virtutis instrumenta.

Item dicitur *Excellentia*, (*Ibid. o.*) id est, superioritatis in aliqua perfectione: id enim importat *To Excellentia*, & ideo qui honoratur, debet superior & excellentior esse non semper ipso honorante, sed vel aliis quibusdam, vel etiam ipso honorante, non simpliciter, sed quantum ad aliud. (*Ibid. ad 4.*) Hinc privatae personae interdum honorantur à Regibus, non quia sunt ipsi superiores secundum ordinem dignitatis, sed propter aliquam virtutis ipsorum excellentiam supra vel ipsos Reges, vel alios concives, sic honorati sunt à regibus Tobias & Mardocheus. (*Ibid. ad 3.*) Item omnes possunt & debent se invicem honore praevire juxta Apost. ad Rom. 12. Quia in quolibet invenitur aliquid, ex quo potest aliquis cum sibi vel aliis superiores reputare secundum illud ad Philipp. 2. *In humilitate superiores invicem arbitramur.*

Ex dicis colliges 1. veritatem hujus adagii, honorem nimirum formalem non esse in honorato, sed in honorante testificante excellentiam alterius; radicaliter tamen est in honorato, haec nempe excellentia, ob quam honoratur, sicut dixi de fama. Colliges 2. Discrimen inter bonam famam, & honorem esse 1. quòd fama potissimum consistat in opinione interna multorum de perfectionibus alicujus, honor verò in externo testimonio de excellentia illius; quamvis tamen, ut dixi, fama ad sui complementum requirat, quòd sit sermo exterior, qui illam bonam opinionem prodatur, & honor supponat opinionem internam de excellentia. 2. Quòd fama feratur de absente, honor exhibetur praesenti. 3. Quòd fama sit de perfectionibus simpliciter, honor verò de excellentia & superioritate in perfectionibus; ita quòd habere sermonem de alicujus perfectionibus in ejus praesentia, absolutè loquendo non sit honor, nisi nostro modo loquendi indicemus, illum eas habere in gradu perfectiori, quam nos, aut alii.

§. II. Quid sit Contumelia?

Dico: (Q. 72. a. 1. o.) Contumelia est dehonoriatio, qua alicuius id, quod est contra honorem alicujus, deducit in notitiam illius, & aliorum; seu brevius, est *injuria dehonoriatio personae praesentis*. Dicitur *Dehonoriatio*: est autem dehonoriatio injuria, qua honor laeditur, vel auferitur: quòd debet intelligi, non negative, quasi esset contumeliosus, qui non reddit honorem, quando & cui debet; sed contrariò, quatenus positivè significat alterum esse vilem & contemptibilem, nec honore dignum. Hae autem dehonoriatio fit deducendo per signa defectus alicujus in ejus & aliorum notitiam. Et quia inter homines verba obtingunt principatum significandi, ideo contumelia dicitur proprie fieri per verba; ut si voces aliquem praesentem furem, stultum, spurium, &c. Potest etiam fieri per facta, ut per picturas intamantes, per libellos famosos, per impactam alapam, per deturpationem, aut fractionem imaginis, vel januae, per aspectum despectivum, & similia, non quidem quatenus sunt facta, sed quatenus sunt signa & habent vim verborum significantium: sic v. gr. si frangas imaginem, aut januam alicujus, eo solum animo, ut ipsum damnifices, non es contumeliosus; si ut per hos significes, cum esse vilem & contemptibilem, es contumeliosus.

Dicitur 2. *Persona praesentis*: quia contumelia debet fieri palam praesenti, aut quasi praesenti, puta, in imagine, in ministro; aut si absenti, ea saltè intentione, ut resciat; quia contumelia opponitur honori, seu reverentiae, quam proximo exhibemus: honor autem non exhibetur nisi prae-

sentem, aut absenti quasi praesenti; honorans enim cupit, ut innotescat honorato testimonium, quòd reddit de ejus excellentia. (Q. 73. a. 1. o.) Insuper, qui occultè male loquitur de absente, videtur eum magis vereri, quam parvipendere, & ideo non est contumelia, sed detractio. Unde S. Th. in definitione contumeliae ponit: quia alicuius *id quod est contra honorem alicujus, deducit in notitiam illius*, addit S. Doct. & aliorum, quia voluit exprimere, quòd regulariter accidit; (Q. 72. a. 1. ad 1.) alioquin est etiam vera contumelia, si quis cupiam soli defectum objiciat, in quantum contra reverentiam audientis agit.

Sic itaque ex hac parte comparatur contumelia rapinae, sicut detractio furto: est tamen disparitas, quòd rapina & furtum sint de eodem objecto, scilicet bonis fortunae; contumelia autem, & detractio de diversis objectis, scilicet honore & fama. Et hinc interest, quòd si quis libello famoso, deturpatione januae, aliove modo aliquem dehonestet, occulto proprio nomine, non sit ex omni parte contumeliosus; quia cum vult ignorari, censetur adhuc vereri alterum, & non omninò parvipendere.

Sed dices: Honor nihil est aliud, quam testimonium excellentiae, ut dictum est; atqui ex hoc, quòd objiciam alicui defectum, non laeditur, aut auferitur hoc testimonium, cum tunc non existat: ergo neque honor. R. Ad Minorem non equidem laedi, aut auferri testimonium existens, seu habitum, sed habendum, quatenus per contumeliam testator, hunc esse vilem, & honore seu testimonio excellentiae indignum, sique minus, aut aufero illi statum excellentiae aestimatae, ex quo honor ei debebatur, & constituo illum quasi in statu indignitatis, ita ut amplius non debeatur ipsi honor; quòd est maxima injuria contra iustitiam commutativam, quia unusquisque habet jus strictum, non quidem ad honorem, sed ad excellentiam aestimatae, unde debetur ipsi honor: sique nemo potest absque iustitia minuire, aut auferre hanc excellentiae aestimationem; quòd tamen facit, quantum in se est, contumeliosus.

Potes, utrum contumelia sit idem, quòd convictum & improprium? R. Haec tria saepe pro eodem sumi, re ipsa tamen distinguuntur. Contumelia est, dum objicitur defectus culpae, ut si dicas alicui injuriosè, quòd sit fur. Convictum est, dum objicitur defectus culpae, vel poenae ut si dicas alicui, quòd sit fur, vel luscus: quia vitium consuevit dici, non solum animae, sed etiam corporis. Improprium est, dum objicitur minoratio, seu indignitas, quae etiam derogat honori consequenti quamcumque excellentiam, ut si exprobes alicui suam paupertatem, aut injuriosè in memoriam revoces auxilium, quòd ei contulisti necessitatem patienti: unde dicitur Eccl. 10. *Exigua dabit, & multa exprobrabit.*

Nota: Attamen haec tria sunt ejusdem speciei; quia habent idem objectum formale, nempe laedere, vel tollere honorem. Nec refert, quòd tollant honorem per objectionem diversorum specie defectuum; quia hi diversi defectus, quatenus tollunt honorem (quòd intendit contumeliosus) sunt ejusdem rationis, secundum se autem considerati se habent tantum materialiter ad contumeliam. Ita Cajet. hic, Soto, Sylvius, Serra, & alii. *Præcl. dubio*, inquit Cajet. *contumelia est vitii speciei specialissima, ex unitate honoris, contra quem tendit, specificam unitatem habens, sicut detractio ex unitate fame.*

Addit Eminentiss. *Est tamen in utrisque cum unitate specifica diversitas graduum secundum magis & minus dum unus defectus magis dehonoriat, aut infamat, quam alius*. Unde juxta Sententiam, de contentis circumstantiis notabiliter aggravantibus, exprimi debet qualitas vitii dehonoris, quando notabiliter auget dehonorationem, sive ratione ipsius, sive ratione illustris personae contumelia affectae, ut explicabo infra. Ex hoc capite contumelia illata parentibus videtur continere malitiam specialem pietati contrariam, ideoque in omni Sententia exprimenda. Etiam certò exprimendum est in omni Sententia, si contumelia simul includat detractioem, ut saepe contingit, ut si alicui coram aliis objicias crimen occultum.

§. III. Utrum Contumelia sit ex genere suo peccatum mortale?

Dico: Contumelia est ex genere suo peccatum mortale; potest tamen multis modis fieri veniale. (*Id. a. 2. o. & in resp. ad arg.*) Prob. 1. pars. ex illo Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis*. Et Apost. ad Rom. 1. Contumeliosos recenset inter illos, quos Deus tradidit in reprobum sensum. (*Id. in arg. s. c.*) Prob. 2. Honor est bonum praestantius, quam divitiis; atque furari, aut rapere divitias est ex genere suo peccatum mor-

tale: ergo & anferre honorem, quod facit contumelia. In individuo autem contumelia (*Ibid.*) est peccatum mortale, quando in his, quæ obijciuntur, est intentio graviter dehonoriandi, etsi forte leviter dehonoret: & hoc est per se & proprie calumniari; quia peccata lingue maxime attenduntur ex affectu. Item, si absque tali intentione obijciatur aliquid quod graviter lædit; quia tunc redit actus in naturam suæ formæ, quatenus sciens debet illud cavere, & non cavens censetur illud intendisse, sicque imputatur illi voluntarium, ac si intendisset: sicut si quis incaute & ex negligentia in ludo percussus aliquem graviter lædat, culpa non caret.

Prob. 1. pars. Contumelia fit venialis. 1. Ex imperfectione actus ut ex inadvertentia, ex indeliberatione, ex subita ira &c. 2. Si aliquid, etiam si secundum se grave, obijciatur ex levitate, aut joco, absque intentione graviter lædendi, & ex quo nemo graviter læditur: quia ratione plerumque excusatur communissima appellatio *stultit.* 3. Ex levitate materiæ; pro qua cognoscenda attendi debet non solum ad ipsam materiam in se, sed respectivè ad personam lædentem & læsam: contingit enim, quòd eadem materia modo sit levis, modo gravis respectu diversarum personarum: sic v. gr. si plebejus obijciat suo æquali, vel inferiori, quod sit mendax, est levis materia; si Superiori, Prelato, Præposito &c. est gravis: adeò ut eò gravior sit contumelia, quòd infertur majori à minore; & eò contra eò levior, quòd infertur minori à majore; quia cum honor debeatur propter excellentiam, eò gravior est dehonoriatio, quòd fit majori à minore; & eò levior, quòd fit minori à majore. Hac ratione Soto & Toletus, quos sequitur hic Sylvius, excusant a mortali viros infimæ sortis & mulierculas, quæ inter rixandum sese invicem conviciis onerant, & quidquid occurrat evomunt; quia, quæ sic effluunt, non apprehenduntur ut vera, nec inde graviter læduntur, aut lædunt.

Ab omni autem peccato excusari possunt verba contumeliosa (*Ib. ad 2.*) 1. Si profertur causa disciplinae & correctionis, quò modo Christus vocavit Apostolos stultos, Luc. 24. & Apostolos Galatas insensatos, ad Galat. 3. Quia, sicut licitum est aliquem verberare causa disciplinae, sic eadem de causa licet verbis contumeliosis officere. Raro tamen sunt adhibende tales obijctiones; quia difficile est in his non excedere, & frequentius subitus ad iram commovent, quam corrigant; neque licet Superioribus quæcumque convicia in sibi subditos conijcere; & in eo si enormiter excedant, peccant mortaliter; si leviter, peccant venialiter. 2. Non esse peccatum (*Ib. ad 1.*), si per Eutrapellam dicatur aliquod leve convicium, non ad dehonorationem, vel contristationem ejus, in quem dicitur, sed magis causa delectationis & joci. Si verò aliquis non reformidet contristare eum, in quem profertur hujusmodi jocosum convicium, dummodo aliis risum excitet, vitiosum est.

§. IV. Utrum debeamus illatas Contumelias sustinere?

Dico: Debemus illatas contumelias sustinere in præparatione animi, non semper actu (*Ib. a. 3. o.*)

Ratio est: (*Ib.*) Quia præcepta patientiæ in his, quæ contra nos fiunt, aut dicuntur, sunt in præparatione animi habenda, sicut Aug. 1. *de Serm. Dom. in monte*, c. 34. 35. & 26. exponit illud præceptum Domini, *si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei & alteram*, ut scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit. Non tamen hoc semper tenetur facere actu, quia nec ipse Dominus hoc fecit: sed, cum suscepit alapam, dixit: *Quid me cædis?* Joann. 18. Tenetur ergo habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit. Quandoque tamen oportet, ut contumeliam illatam repellamus maxime propter duo. Primo quidem propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet, secundum illud Prov. 26. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Alio modo propter bonum multorum quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Unde Gregor. Hom. 9. super Ezechiel. dicit: *Hi, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detraherentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterunt, & ita non pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant.*

(*Ibid. ad 1. & ad 3.*) Igitur audaciam conviciantis possumus moderatè reprimere propter officium charitatis, non propter cupiditatem privati honoris; unde additur loc. cit. Prov. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne et similis efficiaris;* neque propter vindictam, hæc enim soli Deo

& ejus ministris competit: quapropter, si quis hoc animo taceret, ut tacendo contumeliantem ad iracundiam provocaret, esset vindicta & peccatum; sed si taceat volens dare locum iræ, hoc est laudabile.

Quod hic dicimus de tolerantia, vel repulsa contumelia dicendum est de tolerantia, seu repulsa detractionis: fama enim pariter est utilis ad salutem sive propriam, quatenus est bonus stimulus ad virtutes & peccatoribus frenum, ne in ulteriora peccata labantur; sive alienam, quia, qui est fame labelactæ circa mores, aliis vix prodesse potest, ut modò dicebamus ex S. Gregorio. Unde dicitur Eccl. 41. *Cum habes de bono nomine.* Et Prov. 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multa.*

Ceterum, quamvis hæc vera sint, debemus tamen magis adhibere curam circa cultum & acquisitionem virtutum, quæ sunt fundamenta honoris & fame, quam circa ipsum honorem & famam. Quamvis enim hæc sint per se utilia, ut dictum est, per accidens tamen propriam fragilitatem nature sæpe nocent, quatenus pluribus sunt fomentum superbiæ, & difficile sit præmentium illas charitate tueri: & ideo Deus sæpe permittit justos suos iniquorum obloquutionibus denigrari, & contumeliis atterere vana gloriæ statu dissipentur eorum merita, & ut magis perficiantur per exercitium humilitatis & patientiæ. Dum ergo, in patientia possidere animas suas, exemplo Sanctorum, & maxime Christi, qui patienter tulit vocari blasphemum, voracem, demoniacum, seductorem, quo nomine, inquit Aug. in Ps. 63. voluit appellari *Ad solatium servorum suorum, quando dicuntur seductores, & sæpe revocare in memoriam auream illam eisdem sententiam, Math. 5. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me; gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Conferenda sunt, quæ dixi superius de occasione propter defensionem honoris, & quæ dicam infra circa QQ. 108. 131. & 132.

Petes, unde oritur contumelia? R. (*Ib. a. 4. o. & in R. ad arg.*) Quamvis contingat contumeliam quandoquò oriri ex superbia, odio, & stultitia, frequentius tamen oritur ex ira: quia, cum ira pro fine habeat vindictam, & nulla sit vindicta irato magis in promptu, quam inferre contumeliam alteri, utpotè consistentem in verbis, hinc fit eam maxime oriri ex ira.

§. V. Utrum ex Contumelia nascatur obligatio restituendi honorem læsum?

Dico 1. Ex mera omissione honoris debiti nulla oritur obligatio restituendi honorem omissum; quia hæc ommissio non est contumelia, ut dictum est, nec est contra Justitiam commutativam, sed contra virtutem observantiae; nisi forè in illa omissione includeretur coram Prelato, aut Principe transiente, tu sederes petulantè ipsum aspiciens.

Dico 2. Contumelia, quæ infertur coram aliis, inducit obligationem restituendi, quatenus minuit, seu tollit apud alios opinionem de excellentia patientis contumeliam, ipsamque exhibet vilem & contemptibilem, sicque privat honore ab aliis recipiendo, quod est damnum grave, restitutioni obnoxium.

Dico 3. Qui privatim intrà quatuor oculos alteri contumeliam infert, tenetur ad satisfactionem, quia est vera injuria contra Justitiam commutativam, & colligitur ex Matth. 5. Ubi postquam Christus dixit: *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis,* subjungit: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Ubi Christus manifestè exigit satisfactionem pro contumelia privata.

In hoc satis conveniunt Auctores; sed difficultas est, utrum hæc satisfactio debeat etiam dici restitutio. Quidam negant, eò quòd, inquit, nullum sit damnum compensandum, sed sola injuria resarcienda. Alii affirmant, quia hominum æstimatione est verè damnum, non fortunarum, sed excellentiæ, & dignitatis: dum enim contumelia privatim aliquem afficit, ejus dignitatem quantum in te est villosorem reddit & destruit; unde, qui contumelia afficiantur, dicunt suum honorem & dignitatem lædi; quod damnum sæpe ægrius ferunt, quam damnum divitiarum.

Hæc questio posset videri esse de nomine & nullius momenti, nisi defensores primæ sententiæ contenderent, hæc

satisfactionem, utpotè poenalem, non esse faciendam ex Justitia commutativa ante sententiam Judicis, sed solum ex charitate, ex hoc principio, quòd nemo ad poenam ex Justitia teneatur ante sententiam Judicis. Equidem fateor, quòd satisfactiones rigorosas ad æqualitatem, difficile, & valde poenales, nemo teneatur subire ante sententiam Judicis, ut est v. gr. petitio venie cum fune ad collum appenso, aut cum face ardente in foro, aut in introitu Ecclesie; quia, ut dicit S. Th. (*Q. 62. a. 3. o.*), inflicto poenæ pertinet ad Judicem, & ita moribus Gentium receptum est. At secus omnino dicendum de satisfactionibus ordinariis, quæ non sunt ita difficiles, nec rigorosæ, sed nituntur maxime gratia condonantis, ut est simplex petitio venie, vel aliud signum doloris. Et sanè mirum foret, si filiusfamilias, qui enormi contumelia Patrem affecisset, non teneretur ex justitia veniam ab ipso petere nisi a Judice coactus.

Dico 4. (*Ibid. a. 2. ad 3.*) Satisfactio pro contumelia illata, seu honoris læsi restitutio fieri debet per exhibitionem honoris & reverentiam; quia restitutio fieri debet, in quantum possibile est, in eodem genere honorum: ergo honor læsus debet restitui per exhibitionem honoris, & dehonoriatio resarciri per honorationem.

Dico 5. Exhibito reverentiam honoris, quæ honor restituitur convenienter, fit per petitionem venie, quamvis hæc neque semper sufficiat, neque semper sit necessaria. Patet 1. pars: quia, cum contumeliosus per contumeliam se exerxerit, & alterum depresserit atque contempserit, conveniens modus hæc injuriam resarciendi est, quòd contumeliosus se deprimat, & alterum exaltet atque honoret, quod fit per venie petitionem. Patet etiam 2. pars: quia tanta potest esse contumelia, ut illi non satisfaciat per petitionem venie: quo casu adhibenda sunt alia signa honoris & submissionis; ut est petere veniam manibus junctis, genuflexus, aut prostratus, & alia secundum morem patriæ recepta. Patet iterum 3. pars; quia, cum honor possit aliter restitui, quam per petitionem venie, hæc non est absolutè necessaria. Et 1. non est necessaria, quando contumelia est levis, tam absolutè, quam respectivè. 2. Quando illata est a Superiore in subditum; neque enim Pater tenetur petere veniam a Filio, neque Prelatus a Monacho, neque Magister a discipulo, ne, inquit Aug. in Reg. *apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* 3. Quando petitio venie non est in usu apud certi generis homines, ut in certis Provinciis apud viros nobiles.

His autem casibus poterit & debet fieri honoris restitutio per alia & specialia signa honoris & benevolentiam v. gr. invitando ad mensam, honorificentius solito salutando, propinando, locum honorificum concedendo, benevolè & amabiliter colloquendo, & tandem sic ut iudicio prudentem censetur sufficiens satisfactio & honor restitutus. Et nota, hæc restitutionem, seu satisfactionem debere innotescere iis, quibus innotuit contumelia, vel aliter effici, ut restituerentur in eorum animis dignitas imminuta. Quòd si quis forte per ignorantiam læsit alicujus honorem, satisfacit fatendo ignorantiam & exhibendo honorem, quomodo fecit Apost. Act. 13.

N. B. Circa contumelias non atroces prolium in Parentes, ut sæpe contingit, quamvis forte Parentes summo jure non exigant restitutionem, seu satisfactionem; expedit tamen, ut Confessarii, in quantum possunt, eam injungant proliibus, quia est remedium efficacè contra relapsum.

ARTICULUS II.

De Detractione.

§. I. Quid sit Detractio.

Dico 1. (*Q. 73. a. 1. o.*) Detractio est injusta denigratio fame alienæ per occulta verba. Explicatur: Dicitur 1. *Injusta;* quia non omnis denigratio, seu læsio fame alienæ est detractio, de qua loquimur; sed ea solum, quæ fit sine causa rationabili, ut dicam infra, & ideo est injusta. Dicitur 2. *Denigratio;* quia, sicut homo bona fama clarescit, ita detractione nigrescit & obscuratur. Item dicitur *denigratio;* quia ad detractionem non requiritur, quòd fama totaliter tollatur; sed sufficit, quòd minuat: & erit magis, aut minus grave peccatum, quo magis, aut minus fama detrahet. Dicitur 3. *Fame.* Quid sit fama, & in quo ab honore differat, dixi Art. præced. §. 1. Dicitur 4. *Fame alienæ;* per quòd læsio propriæ fame excluditur a ratione detractionis propriè dictæ, cum aliunde non fiat per

verba occulta ei, de quo detrahitur; quia propter non nisi reductivè pertinet ad detractionem, aut ad infamiam in genere. Dicitur 5. (*Ib. ad 2.*) *Per verba occulta,* non absolutè occulta; quò quis enim coram pluribus detrahit, eò pejor est detractio, sed occulta ei de quo detrahitur, saltem ex intentione detrahentis. (*Ibid. o.*) Sicut enim factio aliquis nocet alteri dupliciter manifestè quidem, sicut in rapina, vel quacumque violentia illata, occultè autem, sicut in furto & dolosa percussione; ita etiam verbo aliquis dupliciter aliquem lædit: uno modo in manifesto, & hoc fit per contumeliam, ut supra dictum est; alio modo occultè, & hoc fit per detractionem. Ex hoc autem quòd aliquis manifestè verba contra alium profert, videtur eum parvipendere, unde ex hoc ipso dehonoriatur; & ideo contumelia affert detrimentum honori ejus, in quem profertur; sed, qui verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magis, quam parvipendere: unde non directè infert detrimentum honori, sed fame, in quantum hujusmodi verba occultè proferens, quantum in ipso est, eos, qui audiunt, facit malam opinionem habere de eo, contra quem loquitur. Hoc enim intendere videtur detrahens & ad hoc conatur, ut ejus verbis credatur.

Unde patet, (*Ibid.*) quòd detractio differt a contumelia dupliciter. Uno modo, quantum ad modum proferendi verba, quia scilicet contumeliosus manifestè contra aliquem loquitur, detractor autem occultè. Alio modo quantum ad finem intentum, sive quantum ad nocendum illatum; quia contumeliosus derogat honori, detractor fame.

Non raro tamen conjunguntur contumelia & detractio: ut si quis alteri in faciem coram aliis obijciat falsum crimen, seu verum sed occultum, est similis contumelia & detractio. Nec refert, quòd non fiat per verba occulta; quia præfata distinctio intelligitur per se & ex intentione; ita quòd detractor præcisè qua talis non loquatur malè de proximo cum intentione, ut rescat; neque contumeliosus præcisè qua talis loquatur malè de absente cum intentione, ut ignoret. Unde in præfato casu verba sunt aperta, non qua detraherentis, sed qua contumeliantis. Quòd autem quidam dicunt, in omni contumelia esse læsionem fame, videtur falsum: si enim alicui obijcias, quòd sit luscus, illegitimus, aut latro, dum talis ab omnibus passim noscitur, erit contumelia, non detractio, seu læsio fame.

Dico 2. (*Ibid. a. 2. o.*) Duplex est detractio: una formalis, quando quis per verba, quæ profert, intendit formaliter & explicitè denigrare famam proximi. Altera materialis, quando quis per verba, quæ profert non intendit formaliter & explicitè denigrare famam proximi, sed aliquid aliud non necessarium, aut ea profert ex loquacitate, seu animi levitate, & tamen ex his sequitur, ut nata est sequi fame proximi denigratio, quæ proinde censetur implicitè intendi.

Detractio sive, formalis sive materialis, fit dupliciter, directè & indirectè. Directè quadrupliciter: 1. Falsum imponendo. 2. Peccatum augendo. 3. Occultum crimen revelando. 4. Id, quòd bonum est, mala intentione factum dicendo. Indirectè fit tripliciter. 1. Negando bonum alterius, ex quo bona aliorum de ipso opinio minuat. 2. Retinendo, ut si coram te dicatur, quòd Petrus fuerit ebrius, & quòd tu ipsum videris ebrium, (quòd suppono falsum) si taceas, censeris consentire detractori, & illum in sua detractione firmare. Minuendo, quòd fit, non solum veras alterius virtutes extenuando, sed etiam dum enarratis virtutibus, immiscetur defectus, vel additur in fine laudum *Sed.* Quidam quartum modum addunt, scilicet laudando remissè, sic ut ex hoc concipiant alii tam frigide laudantem non bene opinari de illo, quem laudat, sed iste modus includitur in secundo & tercio. Hi omnes detrahendi modi continentur his versibus.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Qui negat, aut minuit, retinet, laudat remissè.

Primus detrahendi modus est omnium pessimus, nullo unquam casu licitus, & dicitur calumnia: vide duas propositiones hæc de re damnatas Diss. 14. a. 2. conclusione 1. Secundus est hinc affinis, in quantum augendo crimen ex parte falsum imponit; & tamen est frequentissimus: familiare enim est homini propriis vitiis adlandiri & aliena amplificare, quòdque ab uno ut quid leve accipit alteri ut quid grave referre, & iste alter ut quid gravius; ita ut verum sit in hac maxime materia, commune adagium, *fama crescit eundo:* quòd sedulo advertere deberent, qui solent absque scrupulo levità de proximo narrare.

Potest autem augeri crimen, vel quoad rem ipsam, ut si de leviter ebrio dicas, quòd fuerit graviter; vel quoad numerum, ut si de semel, vel iterum ebrio, dicas, quòd sit

sit ebriosus, vel quoad personas, ut si crimen unius multitudini impingatur: quod frequens est, ubi agitur de crimine unius Ecclesiastici, vel Religiosi. Unde Aug. super illud Ps. 68. *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum, dicit: Ad quid aliud sedent isti, & quid aliud captant, nisi ut quisquis Episcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, jacent, contendant, sed non omnes manifestari? Et tamen etiam ipsi, cum aliqua maritata invenitur adultera, non projiciunt uxores suas, nec accusant matres suas.*

Petes, utrum omnes detractiones sint ejusdem speciei? R. Quidam negant, quando fiunt per defectus speciei distinctos, ut si dicas de aliquo, quod sit injustus, item quod sit impudicus: quia, inquit, fama constat partibus specie distinctis: alia enim est fama, quam quis possidet de castitate, alia de Justitia; proindeque lesiones fame debent differre specie, prout partes diversae speciei violant. Haec Sententia est probabilis. Afirmat Cajet. & cum eo Serra, propter unitatem fame, in cujus lesionem tamquam in objectum formale tendunt omnes detractiones, sicut omnes contumelias sunt ejusdem speciei propter unitatem honoris, contra quem tendunt. Nec refert, quod haec diversae detractiones tollant famam per defectus speciei distinctos, puta, per impudicitiam & injustitiam; quia hi diversi defectus, quatenus tollunt famam, quod intendit detrahens, sunt ejusdem rationis; secundum se autem considerati & ut specie differunt, se habent tantum materialiter ad detractionem: sicut bos & equus, quamvis in se specie distincti, non tamen diversificant specie furum; quia in ordine ad nocendum sunt ejusdem rationis: quatenus autem sunt in se diversae speciei, se habent tantum materialiter ad furum. Porro juxta hanc Sententiam, quam etiam ut probabilem tantum refero, negandum est fundamentum 1. Sententiae, nimirum famam constare partibus diversae speciei; sed, sicut de honore communiter admittitur, constare partibus ejusdem rationis, proindeque famam de castitate non differre specie a fama de Justitia, sed tantum secundum magis & minus. Caeterum confer, quae dixi art. praeced. §. 2. circa finem.

§. II. Utrum detractio sit peccatum mortale?

Dico: (*Ibid. a. 2. o.*) Detractio est ex genere suo peccatum mortale contra Justitiam, levius quidem homicidio & adulterio, gravius tamen furto. Ratio est; (*Ibid.*) quia detractio auferit injuste proximo bonum, quod, licet sit vita & fide matrimoniali minus, est tamen majus divitiis, juxta illud Prov. 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae, & illud Eccles. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri magni & pretiosi.* Unde Apost. ad Rom. 1. dicit *Detractores Deo odibiles.*

Dicas: Peccator, etiam occultus, non habet amplius jus ad famam, haec enim virtuti dumtaxat debetur: ergo famam illi auferre non est contra Justitiam. R. 1. Quod peccator occultus, non obstante crimine, habeat adhuc jus ad famam, si non ratione virtutis, saltem ratione possessionis, in qua est; possidet enim adhuc famam ut quid sibi utile ad multa, & nemini nocivum, ut suppono, qua ideo privati non potest absque injuria. R. 2. dato quod non habeat jus, ut bonus positivè reputetur, tamen, quamdiu crimen est occultum, habet jus, ut non reputetur malus, quia nihil mali palam fecit.

Dixi: *ex genere suo*; quia, sicut alia peccata, sic detractio potest fieri venialis. 1. Ex imperfectione actus, puta ob ignorantiam, vel inadvertentiam nocuentis, ob subitum passionis impetum, ob praecipitationem mentis, aut linguae. Etenim, nisi dicamus, inquit Layman, ob has & similes causas saepe excusari a mortali noxa detractionis peccatum, totum penè genus humanum periclitabitur, adeo vulgare est hoc vitium; siquidem lingua modicum membrum est, sed volubile & inquietum, *quod nullus hominum domare potest*, ait S. Jacob. c. 3. Et hoc etiam innuit S. Th. (*Ibid. a. 3. o.*), dum dicit, quod per accidens peccati gravitas attenditur ex parte peccantis, qui gravius peccat, si ex deliberatione peccet, quam si peccet ex infirmitate, vel incautela: & secundum hoc peccata locutionis habent aliquam levitatem, in quantum de facili ex lapsu linguae proveniunt absque magna praemeditatione.

2. Detractionem excusat a mortali levitas materiae. Verum gravitas, aut levitas materiae in praesenti questione non semper aestimari debet ex gravitate, vel levitate defectus, qui est materia detractionis, potest enim quis im-

ponendo, vel revelando grave peccatum, leviter peccare, & e contra graviter peccare imponendo, vel revelando defectum secundum se levem. Aestimanda est ergo hic gravitas, vel levitas materiae ex hoc, quod defectus, qui imponitur, vel revelatur, sive sit naturalis, sive voluntarius, sit multum, vel parum probrosus, seu gravem, vel levem inferat infamiam, quod saepe pendet a judicio prudentum, attendente conditione personae tum detrahentis, tum illius, de qua detrahitur, tum etiam audientium. Item attendente qualitate locorum, mortum, & aliis circumstantiis. Ex quo

Inferes 1. Non esse detractionem mortalem dicere de milite, aut adolescente mundano rixatum fuisse, duellum iniivisse, se inebriasse, fornicatum fuisse; quia hi & similes talia non ducunt probro, sed postus gloriae. Similiter, si dicas de Laico in Belgio, vel Germania fuisse ebrium, vel alios inebriasse; quia in his partibus ebrietas non est valde probrosa Laicis. Sed forte dicet, quodvis peccatum mortale gravem inducere infamiam apud probos; hic autem maxime attendi judicium proborum, non malorum. R. Judicium proborum non multum mutari, dum audiunt res praefatis criminibus passim deditas ea commississe. Aliunde isti non sunt inviti, quod haec de se spargantur.

2. Regulariter loquendo non est detractio mortalis dicere de Laico, quod sit mendax, quod amet sexum; secus, si talia dicas de Praelato, de gravi Sacerdote, aut Religioso; quia haec istis, non illis, censentur graviter probrosa: de istis autem ultimis dicere, quod semel, aut iterum mentii fuerint, non videtur etiam mortale. 3. Item regulariter loquendo, non est gravis detractio, si dicas de aliquo, quod sit avarus, iracundus, superbus, vitiligator, litigiosus; quia haec denotant tantum propensionem animi, aut accipi solent ab audientibus pro levibus peccatis; secus, si dicas, quod sit luxuriosus, aut injustus, haec enim graviter infamant. 4. Item, si dicas quod laboret morbo venerico, nisi statim exponas causam, ob quam inculpabiliter contraxit hunc morbum. Perumque excusantur a mortali peccati & mulierculae, quae inter rixandum graves defectus sibi invicem obijciunt, quia vix est quod fidem illis adhibeant audientes.

5. Detractionis mortalis rei sunt, qui utuntur certis loquendi modis, qui, quamvis nullum defectum exprimant gravium tamen defectum suspicionem ingenerant: ut si dicas de aliquo: *Si vellem aperire, quae scio, ipsum pudore suffunderem. Novi, quod nemo de illo suspicaretur. Multa scio, sed tacere jubet charitas*: his enim similibus detrahendi modis magis nocetur fame, quam si singulares defectus exprimerentur. 6. Quantum ad defectus naturales distinguendum est: dicere de aliquo, quod sit Iustus, gibbosus, pauper, stupidus, nullius cerebri, videtur detractio levis, & quandoque nulla, partim quia haec palam innotescunt, partim quia non censentur valde probrosa: dicere autem, quod sit filius Sacerdotis, quod sit illegitimus, quod sit aliqua nota in ejus familia, nisi sit persona vilis, videtur valde probrosus, & consequenter mortale. 7. Si aliud communi aestimatione leviter probrosus dicas de aliquo, puta, mentium fuisse, & aliquis audiens ex ignorantia, simplicitate, aut opinionis singularitate reputet valde probrosus, non ideo peccas mortaliter; quia, quod aliud sit valde, vel leviter probrosus, non pendet ab unius opinione, sed ex communi hominum aestimatione: sicut, si fueris assem, quem aliquis ex ignorantia aestimet gravem materiam, non ideo peccas mortaliter.

§. III. Utrum aliquando liceat revelare crimen occultum alterius?

NON quero, utrum liceat aliquando detrahere; detractio enim, cum importet injustitiam, nunquam est licita; sed utrum possit aliquando revelari crimen occultum sine detractione. Dico: *revelari*; quia imponere crimen falsum nunquam licet, cum sit mendacium perniciosisimum, quod nullo usquam bono sine coonestari potest, ut jam dixi in superioribus. Dico insuper: *revelari crimen occultum*; quia narrare crimen alicujus scientibus non est detrahere, cum, ut suppono, nulla inde sequatur laesio fame; nisi forte eos, qui tantum dubitant, aut suspiciantur, certiores reddas; aut nisi reveles aliquam gravem circumstantiam, quam ignorabant.

Dico: (*Ibid. a. 2. o.*) Revelare crimen occultum alterius propter aliquod bonum consequendum, aut malum vitandum, sive revelantis, sive audientis, sive delinquentis, sive communitatis, aut etiam alicujus alterius particularis, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec dici potest detractio. Excipe, nisi crimen secretum por-

per injuriam cognoverit. Vide appendixem in fine hujus Dissert. de secreti revelatione. Nota in textu S. Th. non esse legendam: *Propter bonum necessarium*, ut quidam legunt; sed: *propter bonum vel necessarium*, ut habent emendatiores Editiones Lugdun. 1507. Colon. 1639. Ratio conclusionis est, quod criminis non habeat jus conservandi famam cum detrimento alterius innocentis; quia bonum innocens est preferendum bono nocentis, maxime cum ille nocens in id consensusse censetur casu, quo ejus criminis revelatio foret necessaria bono innocens.

Si dicas: Non licet auferre rem alienam nisi in extrema necessitate: ergo nec famam. R. N. Conseq. Disparitas est, quod dominus rei non sit nocens, aut saltem res ejus non nocet, ut suppono. Is autem, cujus crimen revelatur, est nocens, & fama ejus, seu saltem crimen occultum nocet.

Confirmatur conclusio. Nemo tenetur cum gravi suo damno providere fame alicujus nocentis, maxime cum haec in errore fundetur, & reipsa sit ei indignus: ergo.

Dicas: Revelare crimen occultum alterius non solum est non conservare famam ejus, sed positivè auferre, quod non licet. R. N. assumptum; quia non intendo diffamationem, sed tantum profere in lucem, quod apud me occultum est, & nocebat, ex quo sequitur diffamatio ad quam me permisivè tantum habeo, ut me, vel alium servem indemnem: sicut, si projicerem depositum, quod mihi noceret, praevideis inde surripendum a furibus, non conserer positivè concurrere ad damnum deponentis, sed permisivè tantum; positivè autem intendere indemnitatem meam.

Dixi: *Observatis debitis circumstantiis*: 1. Est, ut non plus nec pluribus reveletur, quam sit necesse ad evitandum malum, vel consequendum bonum. 2. Ut probabile sit, quod revelatio habitura sit bonum effectum. 3. Ut fiat ex recta intentione boni consequendi, vel mali avertendi, non ex odio, vindicta, similive passione. 4. Ut bonum consequendum, vel malum avertendum sit alicujus momenti; foret enim injustum atque inhumanum pro levi utilitate prodigere famam proximi. Non puto tamen necesse esse, quod bonum assequendum praerederet, aut etiam aequivaleret bono fame, neque malum avertendum malo infamiae; quia nocens & innocens non sunt jure pares, & alicujus sequeretur, quod pro damno temporali, puta furto avertendo, non liceret revelare domino v. gr. furta domesticorum, cum fama praevaleret divitiis, quod tamen nemo admittit. Hinc

Inferes 1. Nullum esse peccatum ex zelo Justitiae, & propter bonum publicum, deferre Judici scarios, latrones, haereticos, proditores, & similes Republicae pestes. 2. Licetum esse, crimen fratris, praemissa correptione fraterna, si sit profutura, revelare superiori ad emendam: imò & ejus amicis, consanguineis, alivis ex charitate compatiente, ut pro ipso orent, aut ejus emendationi adlaborent. 3. Si injustam patris vexationem ab accusatore, teste, aliove iniquo, potest crimen ejus occultum indicare, non animo vindictae, sed juxta defensionis, si haec via, & non alia, possit fidem illius labefactare, & sic evadere jacturam vitae, honoris, aut bonorum. 4. Si noveris aliquem furem, haereticum, ebriosum, rixosum, luxuriosum, aut aliunde moribus depravatum, potes instruere eos, quos frequentat, ut sibi, vel a seductione, vel a damno temporali caveant. Sic Christus manifestavit hypocrisim Pharisaeorum Luc. 2. & Matth. 23. & Apostolus vitam Hymenaei & Alexandri 1. ad Tim. 1. nimirum ad audientium instructionem & cautelam. Similiter potest detegere imperitia Medici, Chirurgi, Advocati, Doctoris, Confessarii, iis, quibus haec eorum imperitia nocet, aut nocitura est: item & pauperes fictos, qui veris pauperibus nocent. Non potes tamen manifestare desolationem secretam puella, cui ut virgini dos, aut legatum esset conferendum; quia in foro externo habetur virgo, & insignibus virginum gaudet: nec, qui legavit, intendit, aut debuit intendere aliam, quam quae habetur pro virgine. 5. Si quis ad Officium, Beneficium, Ordines, Religionem, vel Matrimonium sit promovendus, quem novisti laborare occulto defectu, vel impedimento, quo ad haec reddatur ineptus in sui, vel aliorum perniciem, potes id aperire iis, quorum interest. Non existimo tamen, te id posse circa Beneficium, aut Officium, si hoc non obstante sit dignus, eo praesidio quod te, ut amicum, idem Officium, vel Beneficium requirementem, reputes digniorem; hinc enim laetior aperiretur via criminandi, dum quisque in sua, vel amici dignitate aestimanda conspiceretur Judex. 6. Si noveris auctorem homicidii, vel furti, pro quo innocens trahitur ad mortem, aut injustè torquetur, potes & tenetis hunc

Theol. Billuart. Secunda Secundae.

auctorem prodere. 7. Possunt conjuges inter se colloqui de defectibus liberorum & domesticorum, in quorum id expedit eorum emendationi, vel familiae regimini. 8. Patres acceptam injuriam, vel aliud quovis alterius crimen referre uni, vel alteri viro prudenti, amico, confessori &c. causa petendi consilii, vel auxilii.

Utrum verò liceat, causa consolationis captandae, & doloris leniendi, injuriam acceptam referre uni viro prudenti? equidem fateor perfectis, ac salubrius tibi fore, si recurras ad eum, *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* 2. Cor. 1. Caeterum probabilis existimo cum Sylvio, Petro, Navarr. Maldero, Serra, Layman, Lessio, & aliis, & satis communiter contra quosdam recentiores, id esse licitum, modò in narrando non subrepat animus vindictae, non nimium exaggeretur injuria, nec dicatur plusquam sit necesse ad animi sublevamen. Quia valde grave est, & ab humana consuetudine alienum, quod quis solus debeat ferre injuriam absque ulla consolatione & querela; nec, ut videtur, tenet eum tanto gravamine & incommodo parere fame injure laedentis, qui nec mihi parere voluit, & qui me injustè vexando se huic diffamationi exposuit, cum sciret id esse in usu: unde sibi debet imputare. Quidam ex ipsis adversariis id saltem excusant a mortali; quia, inquit, multum decedit injuriae, quod uni tantum probro & prudenti reveletur, & aliunde etiam minuit culpam causa doloris mitigandi, ex quo fit, quod saltem non sit mortale. Ita Steyartius.

§. IV. Resolvuntur variae Quaestiones circa praecedentem materiam.

Petes 1. Utrum absque ulla justa causa, sed ex mera loquacitate, vel animi levitate revelare crimen occultum alterius uni tantum viro prudenti, a quo neque asterior divulgatio, neque aliud incommodum timetur, sit peccatum mortale? R. 1. Absque ulla justa causa revelare grave crimen occultum alterius uni viro prudenti, a quo neque ulterior divulgatio neque aliud incommodum timetur, esse peccatum mortale, tenetur communior sententia cum Soto. Prob. 1. Quia famam amittere & male audire apud unum virum prudentem & gravem, quod contingit per hujusmodi revelationem, ita censetur quod grave in genere diffamationis, ut vir prudens mallet male audire apud 3. aut 4. plebeios. Neque dicas, quod fama sit notitia publica, & consequenter quod ex manifestatione apud unum tantum, non amittatur. Quia 1. licet assumptum sit verum grammaticaliter loquendo, non tamen Theologicè; nam apud Theologos fama accipitur etiam pro opinione unius privati. 2. Dato assumpto D. Consequens: fama non admittitur adaequate, C. inadaequate, N. seu ut dicit S. Th. (*Ib. a. 1. ad 2.*) non auferitur fama in toto, sed in parte & quidem notabili, si non extensivè, saltem intensivè. Confirm. 1. Judicium temerarium de re gravi, etsi exterius non prodatur, est peccatum mortale; atqui tamen est diffamatio apud unum tantum: ergo similiter in nostro casu. Confirm. 2. Contumelia gravis, etiam si fiat intra quatuor oculos tantum, est mortalis: ergo & detractio.

Prob. 2. Ab inconvenientibus. Ex exposita Sententia sequitur 1. quod vir prudens, cui revelas crimen alterius, possit pari jure revelare alteri prudenti, & iste alteri, atque ita proximus apud plures graviter diffamabitur absque peccato mortali. Sequitur 2. quod, qui solus audit detractionem gravem, possit illam tolerare ut venialem, se prudentem reputando, quod est contra communem opinionem: ergo. His non obstantibus,

R. 2. Revelare grave crimen occultum alterius, nulla subsistente justa causa, non tamen ex intentione graviter detrahendi, sed ex loquacitate, vel animi levitate, alivè simili causa, uni viro gravi & prudenti, apud quem perinde erit, ac si non esset dictum, ita quod non alteri male afficiatur, nec ulterior divulgatio, aut aliud incommodum timeatur, non esse peccatum mortale, probabiliter tenet Cajet. & alii cum ipso. Ratio est; quia materialis detractio, qualis est haec, non est peccatum mortale, nisi graviter laedat famam proximi; atqui non laedit graviter famam proximi: ergo. Prob. min. Fama est opinio multorum: ergo non laeditur notabiliter per malam opinionem unius, si nempe ille unus talis sit, ut perinde sit apud ipsam, ac si crimen non esset revelatum, ita quod neque male afficiatur erga illum, cujus crimen revelatur, neque inde sequatur illi aliquod incommodum, sed potius commiseratio & auxilium in occasione sperandum. Quod etiam verum videtur, quamvis Theologicè fama sumatur

pro opinione unius privati. Confirmatur 1. Fama prius protrita non reparatur notabiliter per unius bonam opinionem; ergo nec notabiliter laeditur per malam unius opinionem. Confirm. 2. Penitens sepe suis confessionibus imprudenter miscet aliorum crimina, & tamen nemo eos accusat peccati mortalis; idem fortè de conjugibus, qui sepe inter se secreto colloquuntur de variis.

Ad argumenta 1. Sententiæ respondent hujus secundæ Patroni. Ad 1. idèd vir prudens mallet perdere famam apud 3. aut 4. plebeios, quam apud unum virum gravem, quia inde timet, nec vir ille gravis male illi afficiatur, quia inde timet, nec vir ille gravis male illi afficiatur, eum impediatur consequi bona, quæ aliis consequeretur, aut sequatur aliud incommodum. Quod si nihil horum timeat, non mallet male audire apud plures plebeios, quam apud illum virum gravem, quia ipsi potius commiserantur, quam successeat, & a quo auxilium in opportunitate expectet. Ad 2. negant paritatem. Quia iudicium temerarium non est peccatum mortale præcisè propter damnum famæ, quod infert, sed propter gravem injuriam, dum ex levibus indicis grave crimen infertur, & in corde suo contemnit, quo perinde est, ac imponere crimen falsum. Porro imponere crimen falsum, etiãsi apud unum tantum, est gravis injuria & peccatum mortale; quando autem aperitur verum crimen, non est tanta injuria; unde non est eadem ratio. Ad 3. 1. Similiter dicunt, contumeliam esse peccatum mortale, non ratione damni famæ, sed ratione injuriæ & contemptus, qui potest esse gravis, sive coram uno, sive coram pluribus; vel 2. respondent, antecedens esse verum de contumelia formalis, non materialis; nemo enim se notabiliter læsum putat ex verbo contumelioso prolato inter quatuor oculos absque intentione inhonorandi. Ad 4. Respondent, quod, cum revelare crimen occultum in casu sit imprudenter agere & peccare venialiter, ille, qui sibi primo revelatum alteri tertio revelat, non est prudens, ut tamen supponitur, sed imprudens & imprudenter primo, cum inde videat periculum infamæ apud plures, quod proximus incurrit. Unde, licet iste peccet mortaliter, non sequitur, quod primus, qui cum putabat prudentem, peccet pariter mortaliter. Ad 5. Admittunt sequelam de detractone materiali, ex qua non sequitur gravis diffamatio, ut in casu, negantque, id esse contra communem opinionem; secus, si ageretur de detractone formali.

Petes 2. Utrum infamatus de uno crimine possit infamari de alio. R. Infamatus de uno crimine infamare de alio, quod non est affine, aut ordinariè conjunctum cum primo, est ex genere suo peccatum mortale. Quia fama est divisibilis, habens quasi partes ab invicem independentes; qui enim est clarus fama justitiæ, non semper clarescit fama temperantiæ; ergo potest una pars fame tolli, & non altera: nec ex eo quod una pars sit ablata, sequitur, quod possit auferri altera: sicut ex eo quod homo amiserit partem suarum facultatum, non sequitur, quod debeat amittere omnes. Confirmatur. Diffamatus in uno genere non est idèd infamis in alio genere; ut qui habetur ebrius, non idèd habetur fur: ergo gravem illi facit injuriam, qui illum in hoc genere diffamat.

Dicit de crimine, quod non est affine cum primo; quia, qui diffamatus de uno diffamaret de altero, quod est affine & ordinariè conjunctum cum primo, non peccaret saltem graviter, quia non augetur graviter infamia, ut qui de ebrioso diceret quod risetur, qui bona dilapidet, &c. De illo, qui fur passim habetur, quod aliquod novum furum commiserit. Imò, si quis esset suis vitiis tam infamis, ut censeretur omnem Dei timorem abjecisse, non peccaret graviter, qui aliquod ejus crimen, non tamen extraordinarium in alio genere non affiat, revelaret; quia idèd non multum mutaretur iudicium hominum circa illam, nec idèd multum ageretur ejus infamia.

Petes 3. Utrum narrare crimen alicujus, non assertivè, sed tamquam dictum ab aliis, sit peccatum mortale? Casus frequens: Fertur, seu auditur hoc, vel illud de tali; non affirmo tamen sic esse. R. Si tales sint circumstantiæ, ut verosimiliter sit, auditores non credituros, nec suspicatosos sinistra, puta, quia vel narrans vel auctor dicti nominatus est garulus, levis, nullius fidei, vel quia audientes sunt graves & probi, qui non levitè credunt, excusatur narrans a peccato mortali; quia abest periculum notabilis damni. Si e contra ex circumstantiis narratio proprio pondere fidem dicti astruat, aut sinistram suspicionem audientibus generet, puta, quia dicti auctor nominatus est gravis, vel narratur tali modo, qui verum esse indicat, narrans peccat mortaliter, vel venialiter pro ratione materiæ contra justitiam cum onere restituendi, quia talis ejus nar-

ratio est ex se vera causa damni. Si tandem tales sint circumstantiæ, ut narratio ex se quidem fidem non faciat, nec suspicionem generet, sed tamen narrans advertit audientes exanimi levitate credituros, aut suspicatosos, quod plerumque accidit propter magnam hominum proclivitatem ad suspicandum mala de proximo; & narrans peccat graviter contra charitatem, quia præbet occasionem, & scandali audientibus, & detrimenti famæ illius, de quo narrat; quæ duo mala debent e contra impedire: tenemur enim ex lege charitatis impedire malum proximi, quando commodè possumus, idque magis quando malum sequitur occasionalitè ex nostris dictis, aut factis. Non tamen videtur peccare contra justitiam; quia, cum audientes non vi narrationis, sed ex propria animi levitate credant, ad suspicentur, non narranti tamquam causæ debet adscribi damnum famæ: sed audientium imprudentiæ, ac levitati. Ità quoad hanc ultimam partem S. Anton. Scotus, Sylvester, Cajet. & alii apud Seram & Layman.

Petes 4. Utrum peccet peccato detractonis, qui narrando crimen occultum alicujus, narrat simul ejus penitentiam? R. regularitè loquendo affirmativè, quando nempe crimen est infamatorius, quia ordinariè notitia penitentia non abstergit omnino sinistram opinionem, & contemptum, quem peccati narratio ingerit in animo audientium. Sic nemo est, qui non censeat famam Episcopi, aut Monachi graviter lædi, si narres ejus fornicationem, quantumvis adicias ipsum penituisse. Idem dicendum de eo, qui laudat in uno genere, & detrahit in alio, ut: Est doctus; sed, &c. modus sanè detrahendi frequens, & valde perniciosus, quippè quo efficacius suadet detractio. Si tamen talis, ac tanta foret penitentia, ut longè superaret infamiam criminis, & eam omnino deleteret, non peccaretur narrando crimen & penitentiam. Propter hanc rationem, & insuper quia id requirebat singularis Dei gloria, revelantur in Scripturis incredulitas Thomæ, negatio Petri, & Pauli persecutio.

Petes 5. Utrum liceat detrahere defuncto? R. negativè, quia, juxta communem hominum sensum defunctus censetur capax gloriæ; vel infamantis memoriæ: & non secus ac vivens habere jus ad famam.

Petes 6. Qualitèr peccet, qui crimen occultum refert non nominata persona? R. Si ex narratione non possit dignosci persona, ex hoc capite non peccat; secus, si ex narratione possit dignosci. Item, si non nominata persona nominet, aut indicet ejus qualitatem, quod sit Religiosus, Ecclesiasticus, aut quod pejus est, ex quo Ordine, Collegio, Communitate, plerumque est gravis detractio, & eo gravius quo totius Communitatis, aut status famæ nocet. Quamvis enim Ordo, Communitas, aut status ex unius peccato absolute non maculetur, sicut nec Collegium Apostolorum ex prodione Judæ; sic tamen plerumque estimant homines seculares & imperfecti, ita quod ex peccato unius Religiosi, vel Ecclesiastici totum Ordinem, aut statum Ecclesiasticum contemptui habeant, ut jam supra notavi ex Aug. Aliud foret dicendum, si narratio fieret inter ipsos Religiosos, aut Ecclesiasticos, sive inter viros prudentes, & quos rerum æstimatores, qui cujuscumque merita, & demerita æqua lance ponderant, nec unius membri navum toti corpori affigunt.

§. V. Utrum diffamatum in uno loco, vel tempore, liceat diffamare in alio loco, vel tempore?

Nota: Crimen aliquod potest esse tripliciter notorium, jure, facto, & fama, seu rumore. Notorium jure dicitur, quod per Sententiam, aut per convictionem, seu confessionem rei in judicio notum est. Dico: in judicio; quia notorium per confessionem rei extrâ judicium, aut per semiplenam probationem non est notorium jure, sed reducitur ad notitiam facti. Notorium facto dicitur, quando quis commisit publicè crimen in platea, in foro, in popina, aut alibi coram pluribus, ita quod moralitèr loquendo occultari, aut celari non possit. Item quando dat palam certa criminis indicia, ut si puellam suspectam domi detineat, & ejus proles alat. Notorium fama dicitur, quando crimen palam innotescit aliorum relatione, præsumptione, suspitione.

Itam aliquod crimen potest esse notorium, vel respectivè tantum, puta, respectu Collegii, Communitatis, familie, viciniae; vel absolute respectu omnium, qui eandem Religionem, vel Civitatem incolunt. Quot autem personis debeat innotescere, ut censeatur notorium fama, vel facto, quando non est patratum in loco publico? Certo definiti non potest. Alii assignant 10. personas, alii plus, alii mi-

nos, quidam majorem partem communitatis: sed melius remittitur iudicio prudentis, qui si, attenta quantitate Communitatis & hominum garulitate, iudicat vis possibile esse, ut res secreta maneat; nec ad aliorum cohabitantium, aut vicinorum notitiam veniat, potest censeri notoria respectu illius communitatis, ac viciniae. His notatis,

Dico 1. Diffamatum in uno loco per Sententiam publicè latam licet diffamare ubivis locorum absque læsione Justitiæ; est communis: non tamen absque læsione charitatis, si diffamatio fiat sine justa causa: videtur probabilior. Prob. 1. pars. Sicut Judex habet jus spoliandi rem in penam criminis bonis fortunæ, corporis, & vitæ, ita famæ & honoris; atqui hæc penam intelligere decernit, dum rem ponit eo loco & tempore, quo crimen in plurimorum notitiam venire potest, puta in platea publica & die fori, quando plures convenire solent: unde reo auferit jus ad famam respectu hujus criminis, & omnibus tacite confert licentiam ubique divulgandi: ergo. Prob. 2. pars. Quia, licet sic diffamatio non habeat amplius ulli jus ad famam, eam tamen in locis, ad quos non est verisimiliter brevi perventura divulgatio, adhuc pacificè possidet, & diu possidebit absque cujusquam injuria; atqui cum tanto bono privare sine justa utilitate videtur omnino contrarium charitati, qua debemus diligere proximos sicut nos ipsos, & notissimè ejus regule: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: ergo.

Dico 1. Per Sententiam latam; quia de illo, qui ante Sententiam est tantum diffamatus, sive per depositionem testium, sive per propriam confessionem, idem censendum est ac de diffamato per notorietatem facti; quia nondum decreta est poena diffamationis, nec cuique concessum crimen hoc ubique vulgandi, quod fit per Sententiam dumtaxat: nisi fortè quis certò sciret Sententiam statim esse ferendam; parum enim tunc noceret.

Dico 2. Per Sententiam publicè latam; quia, si Sententiam foret lata & executioni mandata secreto, non potest ulterius diffamari; quia per talem Sententiam reus non punitur poena diffamationis, nec conceditur cuiquam facultas ubique divulgandi. Similiter Sententia, lata intra cancellos alicujus Collegii, aut Conventus, non potest extraneis propagari; tunc quia id non intendit, nec permittit Judex; cum quia hæc diffamatio redundat in Collegium, seu Conventum.

Dico 2. Qui diffamatum publicitate facti, aut rumoris diffamat apud nescientes ejusdem loci, aut in iis locis, ad quæ verisimiliter diffamatio brevi est ventura, sive propter locorum viciniam, sive propter mutua incolarum commercia, aut propter alias rationes, non peccat contra Justitiam, nec saltem graviter contra charitatem. Est communior quoad utramque partem. Prob. 1. pars. Quia crimen, alterutro modo publicum in uno loco, moralitèr rem estimando censetur publicum in alio loco, ad quem brevi perventura est divulgatio; ita ut, qui illo famam amisit, censetur etiam in isto famam amisisse. Est insuper ratio specialis de crimine noto notorietate facti; quia, qui crimen commisit in loco publico, non curavit, an plures scirent, vel non; eo enim loco & tempore commisit, quo quis possent videre: quod si plures non viderint, per accidens est, quia plures non aderant; unde censetur renuntiasse juri ad famam omnibus iis personis & locis, ad quæ divulgatio nata est pervenire. Neque refert, quod fortè tunc non velt amplius recurre; sufficit, quod ante voluerit, dum crimen publicè perpetravit.

Dices: Non raro contingit, quod publicitas rumoris habeatur per injuriam, seu detractonem: licet tamen etiam tunc nescientibus aperire, sive in eodem loco, sive in vicinis? R. Quidam negant, voluntque id esse secundum se peccatum mortale; quia ex hoc quod aliquis injustè militi apud aliquos famam ademerit, non idèd amisit jus ad famam restantem apud alios nescientes, unde qui hanc injustam diffamationem extendit, injuriam continuat. Hæc Sententia est probabilis. Alii id licere, affirmant; quia, licet non amiserit jus famæ per injuriam, amisit tamen per id quod sequitur ex injuria, quod est esse publicam: sicut enim ex quavis publicitate etiam injusta criminis amitto jus famæ apud scientes de facto, ita etiam amitto apud eos, qui, attenta hominum conditione & communi consuetudine, inevitabiliter & quadam necessitate brevi sunt scituri; ita ut non possim jure conquiri tamquam de injustitia, si illud apud eos manifestetur. Hæc Sententia est etiam probabilis, & communis in praxi, etiam apud timoratos: nemo enim inquit, unde rumor habeat originem, an jure, an injuria; sed hoc ipso quo est publicus, unusquisque absque

Theol. Biliuart. Secunda Secundæ.

scrupulo injustitiæ de crimine sic noto loquitur. Aliud tamen foret, si scias crimen esse falsò impostum; quia innocens, non obstante publicitate, habet semper jus intrinsecum in sua innocentia fundatum, ne quis falsum de ipso dicat; quod non habet nocens.

Secunda pars conclus. scilicet, quod non peccet saltem graviter contra charitatem, patet; quia supposito, quod fama sit brevi perventura ad illos, quibus narro, nullum aut leve damnum diffamatio infertur.

Dico 3. Qui in uno loco diffamatum facto, aut rumore diffamat in aliis locis, ad quæ verisimiliter non est brevi perventura diffamatio, graviter peccat contra charitatem, imò & probabiliter contra Justitiam cum onere restituendi. Ratio 1. partis, quam omnes admittunt, est; quia sine causa nocet proximo in re gravi, nempe in fama, quam in alio loco sine cujusquam injuria possidebat, & diu adhuc possideret, factique illi, quod non velt sibi fieri. Ratio 2. partis est; quia sic infamatus in uno loco justè adhuc possidet famam in loco, ad quem notitia criminis non est citò perventura: ergo facit illi injuriam, & peccat contra Justitiam, qui eum illic diffamat.

Nec valet, si dicas cum Lessio, illum nullibi amplius jus habere ad famam, ex quo crimen ejus alicubi est publicum. Per quid enim hoc jus amisisset? Non per crimen ipsum secundum se; alias quicumque crimen quantumvis occultè commisisset, non haberet amplius jus ad famam; & nemo peccaret contra Justitiam illud vulgando; quod nullus admittit. Non per crimen qua publicum in uno loco; quia quamvis sit publicum in uno loco, est tamen, & erit ignotum alibi, nisi reveles; adeoque sic te habet illic, ubi ignotum est, ac si esset absolute occultum.

Si tamen ex publico facto, vel ex aliis circumstantiis prudenter judicaretur, criminis absolute famam abdicasse, nec ullatenus curare, quis sciat, & ubi sciatur ejus crimen (quod puto raro contingere) non foret illicitum illud ubivis locorum divulgare, modo ejus fama non sit aliorum famæ alligata.

Dico 4. Qui diffamatum uno tempore diffamat alio quo prius ejus crimen oblivione, aut bona vita est oblitum, peccat, non solum contra charitatem, ut patet ex prima parte præcedentis conclusionis, sed etiam probabiliter contra Justitiam cum obligatione restituendi. Excipiendum videtur crimen, quod fuit notorium per Sententiam publicam. Ratio conclusionis est; quia eadem ratio est de crimine oblitum, ac de crimine occulto, per obliationem enim crimen reducitur ad statum, quem habebat, antequam esset publicum; atqui peccat contra Justitiam, qui revelat crimen occultum; ergo & qui obliationem.

Confirmatur. Per talem diffamationem homo non solum leditur in fama pro tempore publicitatis, ut vult Lessius, sed etiam saltem indirectè, in fama, quam legitime recuperavit, & nunc possidet, aut saltem hæc fama præsens per talem diffamationem fit ipsi inutilis: ergo fit ipsi injuria.

Excipiendum dixi crimen, quod fuit notorium per publicam sententiam; quia, cum sententia sit illimitata tam quoad tempus, quam quoad loca, sicut confert licentiam divulgandi ubivis locorum, ita & quovis tempore. Quod verò fama præsens inde indirectè sedatur, imputari debet culpæ præterite; cujus partialis poena est, quod possit semper, & ubique divulgari absque læsione justitiæ: charitatem autem inde graviter lædi, mihi probabiliter est, dum quis absque justa necessitate nocet alteri, aut ejus familie in fama, quam recuperaverit, & legitime possidet absque cujusquam injuria, quæque est illi utilis ad omnia.

Quid ergo dicendum de Historicis, & nuntiorum Scriptores, vulgo Gazetteis? Respondent communiter Theologi, ipsis paulò plus esse indulgendum, quam aliis, propter integritatem Historiæ, & communem utilitatem; neque tamen ipsis omnia promiscuè licere, etiam circa quæ sunt, aut fuerunt publica in certis Regionibus; circa verò crimina occulta non plus illis licere, quam aliis.

Quantum ad diffamationem sui ipsius, vide, quæ dixi Diss. 3. de Jure a. 2. concl. 4. & Diss. 14. a. 1. sub finem.

§. VI. De Audientibus detractonem.

Nota (Ibid. a. 4. a.) Audiens detractonem peccat, quantum consentit detractoni. Dupliciter autem consentire potest, directè, & indirectè. Directè quando vel ad detrahendum inducit, vel ipsi placet detractio: indirectè, quando, etsi ipsi non placeat detractio, eam tamen non impedit, dum potest, & debet.

Dico 1. (Ibid.) Qui consentit directè detractoni, sive

quia inducit detractorem ad detrahendum, sive quia ei placet detractio propter odium ejus, cui detrahitur: non minus peccat, quam detrahens, & quandoque magis; si enim inducat, peccat contra charitatem peccato scandalii erga detrahentem, quem inducit ad peccatum, & contra justitiam erga diffamatum, cum sit causa movens ad ejus diffamationem: & quia plus est culpa in motore, quam in moto, tam ex hoc capite, quam ratione scandalii, magis peccat, quam detrahens. Idem dicitur de eo, qui detrahenti animum addit, applausu, gestu, interrogationibus, &c. Si vero non inducat, sed placeat tamen detractio propter odium proximi, peccat, ut evidens est contra charitatem, & etiam affectu contra justitiam; quia ipsi placet opus, quo injuste læditur proximus, & potest magis peccare, quam detractor ratione majoris odii; non tantum tenetur ut prior ad restitutionem; quia non cooperatur externè injustitiae. (*Ibid.*) Et de his detractorum auditoribus dicit Apost. ad Rom. 1. *Qui talia agunt, digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*: & D. Bernard. l. 2. de consid. *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damabilius sit, non facile dixerim.*

Dixi: *Cui placet detractio*; quia, si placeret tantum lepiditas, gratia, eloquentia narrantis, aut factorum mirabilitas, dexteritas, singularitas, non culpantur ex hoc capite communiter Auctores gravis peccati, licet ex alio capite possit graviter peccare, quia nempe non impedit gravem detractorem, dum commode potest, ut dicam modò. Idem censent Navarr. Tolet. Bonac. Lessius, Layman, & alii de eo, qui libenter audit detrahentem ex mera curiositate sciendi facta aliorum; quia, inquit, non delectatur de detractioe formali, sed de curiosa cognitione factorum proximi. Verum id negant quidam recentiores, inter quos Erud. P. Henno dicit: *Cerè tenendum, esse mortale, cum ipsa cognitio curiosa causet in audiente alterius diffamationem*: id quidem esse probabile, non diffiteor; sed certum non video. Etenim, dum quis libenter audit detrahentem propter ejus in dicendo lepores, aut facti mirabilitatem, hæc auditio causat pariter in audiente alterius infamationem, & tamen non peccat mortaliter, ut concedit ipse P. Henno. Item, dum quis audit detrahentem, quem ex timore, vel verecundia non audet impedire, hæc auditio pariter causat in audiente alterius infamationem, & tamen juxta S. Th. mōx referendum, peccat plerumque venialiter. Videtur itaque dicendum, non omnem proximi infamationem esse peccatum mortale, sed eam duntaxat, quæ vel per se placet, injuste causatur, aut acquiritur, hic autem nec mihi placet infamatio per se, nec eam injuste causa, aut acquiri, cum ad nullatenus, ut suppono, concurrat.

Dico 2. (*Ib.*) Qui consentit tantum indirectè detractio, quatenus scilicet eam non impedit, dum potest, peccat minus quam detrahens; quia nec inducit ad detrahendum, nec ipsi placet detractio. Peccat tamen & quidem mortaliter ex genere suo ex duplici capite. 1. Respectu detractoris, quem peccantem fratrem non corripit. 2. Respectu illius, de quo detrahitur, cujus damnium in fama non impedit; ad utrumque enim tenetur ex lege charitatis, dum commode potest. Undè Prov. 4. *Remove a te os pravum, & detrahentia labia sint procul a te.*

Undè, si audiens sit Superior detrahentis, ratione officii tenetur ex Justitia ipsum impedire. Etiam valde probabile est, quod tenetur ex Justitia impedire detrahentem, etiamsi sit tantum Superior illius, de quo detrahitur: quia ipsi ex officio incumbit curare, non solum ne subditus alteri noceat, sed etiam ne ipsi subdito noceatur, sive in spiritalibus, sive in temporalibus, quæ necessaria sunt ad spiritualia, qualis est fama. Vide, quæ dicam a. seq. petit. 2.

Dico 3. (*Ibid.*) Plerumque tamen contingit, quod sic non impediens detractorem peccet tantum venialiter, aut etiam nullo modo peccet. Explicatur: Peccat tantum venialiter 1. dum ex levi negligentia omittit impedire. 2. Quando ex magna verecundia, timore, aut animi pusillanimitate non audet resistere; quia tunc resistenda, seu correctio est ipsi valde difficilis, idoque videtur excusari a mortalibus, ut modò dicam, nemo tenetur resistere cum gravi suo incommodo, & hoc innuit S. Th. (*Ibid.*) cum dicit, quod, *qui ex timore... vel verecundia omittit repellere detrahentem... peccat... plerumque venialiter*. Imò posse quandoque ex hoc capite totaliter excusari à peccato; ut si detrahens sit Princeps, persona valde illustris, aut gravis Superior; & audiens persona vilis, famulus, aut ancilla. Excipit tamen, nisi admodum atroc foret detractio, aut ex ea grave malum sequere-

tur; tunc enim excessiva verecundia deberet audiens contradicere: si tamen nullum aliud damnium inde timeat, & videat contradictionem profuturam.

Nullatenus verò peccat 1. Si prævidet resistitiam non profuturam, imò quandoque obfuturam, sive quia detractor est talis indolis, ut ex correctione irritatus plura sit dicturus, aut dicta confirmaturus, ut sæpe contingit; sive quia audiens est ineptus correctioni faciende, puta, scrupulosus, aut famulus respectu Superioris, sive ob alias rationes. 2. Si ex correctione timeat sibi, vel aliis grave incommodum, odia, convicia, rixas, verbera, &c. quia nemo tenetur alterius bono providere cum gravi suo incommodo. 3. Quando videt, detrahentem non detrahente intentione, & auditores non credere; item quando detractio est levis. 4. Quando ei non constat, loquentem injustè detrahente, puta, quia nescit, an peccatum sit publicum, vel non, an narrans non habeat justam causam narrandi; forte enim justè loquitur, nec debet præsumi malus, nisi sint aperta indicia in contrarium, unde audiens faceret ipsi injuriam repellendo & corripendo de peccato, quod nescit esse peccatum. 5. Si sit scrupulosus; quia cum ob scrupulos non possit satis discernere, an justa, vel injusta sit detractio, an gravis, vel levis, quando debeat, vel non debeat contradicere, exponitur periculo reprehendendi, ubi nihil est reprehendendum: critique sæpe aliis ludibrio potius, quam corrigatur delinquens.

Ex his omnibus potest colligi hæc regula generalis: *Nemo tenetur sub peccato saltem gravi corripere male loquentem de proximo, nisi certè mortaliter noverit illum injustè & mortaliter detrahente, possitque efficaciter & sine gravi suo incommodo impedire.* Ex quo patet, æquales raro, inferiores rarissime peccare mortaliter, non impediendo detractioes.

Cæterum, ut, qui tenetur detrahentem impedire, satisfaciatur suæ obligationi, (*Ibid.* ad 2.) non est semper necesse, quod ipsi positivè resistat, & verbis contradicat: sed sæpe sufficit ostendere, quod detractio displiceat v. gr. faciendo, recedendo sermonem ad alia divertendo; & præsertim faciem tristem exhibendo; juxta illud Prov. 25. *Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristes linguam detrahentem.* Et hic modus maxime convenit inferioribus respectu Superiorum, & sæpius æqualibus inter se; cum experientia constet hunc corripienti modum esse plerumque aliis efficaciorum. Non sufficeret tamen regularitè Superiori respectivè ad subditos.

Rectè advertunt hic quidam casum arbitri, quandoque expedire detractorem inchoatam non statim abrumperet; quia plures sunt, qui, dum incipiunt detrahente, ita exaggerant, ut videantur portenta enuntiaturi, quæ tamen, completa narratione, communia & levia apparent. Undè, si in limine detrahentem sistas, auditores longè pejorem concipiunt de proximo opinionem, quam si rationem complevisset.

ARTICULUS III.

De Restitutione Famæ.

§. I. Utrum Fama sit restituenda?

Dico 1. (Q. 62. a. 2. ad 2.) Fama injustè ablata statim restituenda. Est communis & certa: quia restitutio boni injustè ablati est necessaria ad salutem, ut probatum est de Restit. in genere; atqui fama est bonum & quidem divitiis præstantius, ut dictum est supra: ergo. Dixi 1. *Fama injustè ablata*; quia, ubi non est Justitiæ violatio, nulla est restitutionis obligatio, cum restitutio non adhibeatur nisi ad restaurationem Justitiæ violatæ. Undè, qui ex rationabili causa, ut explicuimus superius, famam alienam abstulerunt, non tenentur eam restituere; sed hi soli & omnes, quos in præcedentibus diximus peccare peccato detractiois efficacis contra Justitiam: require. Dico: efficacis, id est, quæ verè famam læsit, aut abstulit. Neque solum hi, qui per se detrahunt; sed qui detractiois efficaci quovis modo concurrunt jubendo, consulendo, excitando, inquirendo; &c. sicut diximus supra de concurrentibus ad injuriam damnificationem. Et quamvis audiens præcisè ut audiens non tenetur restituere, sæpè tamen contingit, quod incurrat obligationem, si nempe verbis, nutibus, aut alio modo detractorem approbet, & ipsi animum addat ad detractioem vel ausendam, vel continuandam.

Dixi 2. *Statim*; quia, ut dictum est de Restit. in genere, restitutio obligat ad statim moralitè; & quo diutius

diutius differatur, eò majus patitur detrimentum infamatus, sive quia fama crescit eundo, sive quia saltem diutius habetur contemptui apud alios.

Dico 2. Item tenetur detractor restituere omnia damna ex detractioe secuta, quia per detractioem est causa illorum efficacis; est etiam communis & certa contra Soto, qui existimat, damna secuta ex revelatione criminis veri sed occulti, non esse ex integro restituenda, sed partim tantum; quia juxta ipsum vera & præcipua illorum causa est ipsum crimen, non revelatio, quæ est tantum conditio sine qua non: in quo sæpe hallucinatur Doctor oculatissimus. Si enim crimen esset vera illorum damnorum causa, ubi non esset crimen, non esset damnum, sicque nullum unquam sequeretur ex impositione falsi criminis, quod est aperte falsum. Vera ergo causa illorum damnorum est sinistra opinio, quam detractor ingerit in animis audientium ex revelatione criminis sive falsi, sive veri, sed occulti. Hinc inferes, quod, qui per suas detractioes causam est, cur aliquis ab officio, aut beneficio, sive adepto, sive adipiscendo, repellatur, cui puella amittat conveniens matrimonium, cur Medicus, aut ancilla non possit elocare suas operas, cur Medicus, Advocatus, Mercator, Pauper, Monasterium, &c. priventur lucris, aut emolumentis, hæc omnia damna restituere tenetur. Quod, quamvis sit difficile & in praxi rarum, verissimum est tamen & saluti necessarium.

Petes 1. Utrum qui injustè detrahit, sed materialitè tantum & ex errore, tenetur ad restitutionem ex justitia, ubi erroris advertit? v. gr. revelas crimen, quod bona fide potest esse verum & publicum, & tamen est falsum, vel verum quidem sed occultum: dicis ex inadvertentia Petrum auctorem homicidii publici; & est Joannes R. probabilis teneat, si commode potest; quia idè detrahendo injustè materialitè excusatur a peccato, eò quod damnium, quod inferi, non sit ipsi voluntarium ratione ignorantie involuntabilis; sed hoc ipso quod advertit errorem & non impedit, ut potest, damnium a se causatum & perdurans, detractio reddit in suam speciem, & damnium fit ipsi voluntarium; sicut si ignem inadvertentè projecisset in segetes, quem serpentem advertens non extingueret, censeretur istud incendium ipsi voluntarium, ut jam alibi diximus: ergo. Non tamen tenetur restituere damna secuta ex diffamatione materialis; quia hæc ipsi sunt involuntaria: secus de damnis secutis, postquam erroris advertit, & non retractavit; quia hæc sunt ipsi voluntaria.

Dices: Iste non tenetur restituere ratione injustæ acceptationis, quia non peccavit detrahendo ex errore inculpabili; neque ratione rei acceptæ, nihil enim habet de alieno: ergo. R. Teneat ratione quasi rei acceptæ, quia moralitè loquendo censetur apud se detinere famam alterius, dum eam commode reddere potest, & non reddit.

Inferes: ergo quicumque potest famam alicujus ab altero infamati reparare & non facit, censetur illum detinere & peccare contra justitiam. R. N. Illationem. Distiparis est, quod ille, de quo in instantia, famam non abstulit; at is, de quo in casu abstulit, initio quidem involuntarie, nunc autem dum adhuc serpit diffamatio, & errorem advertit, voluntarie, nisi retractet; unde tenetur ex justitia, alter tantum ex charitate.

Sed quid, si error se teneat ex parte audientium tantum? v. gr. nominas Petrum auctorem homicidii; & audientes intelligunt Paulum. R. Non videris teneat ad reparationem ex justitia; quia nullo modo fuisti causa damni, sed error duntaxat audientium.

Dixi in 1. Respons. si commode potest: quia non tenetur eam tanto incommodo, ac si voluntarie diffamasset: qui enim voluntarie & scientèr damnificat, se subjicit omnibus periculis & incommodis restitutionis; secus, qui inculpabiliter damnificat.

Petes 2. Utrum superior, non impediens detractioem, dum potest, teneatur ex justitia ad restitutionem? R. Sub distinctione. Si non impedit subditum detrahentem de extraneo, non videtur obnoxius restitutioni famæ illius extranei. Quis, licet teneatur ex officio corripere subditum delinquentem, non tamen tenetur ex officio providere bono extranei, aut ejus malum impedire, sicque respectu illius non violat justitiam, nec consequenter tenetur restituere. Confer, quæ dixi de Rest. in genere a. 13. §. 7. n. 4.

Si verò non impedit sive subditum, sive extraneum de suis, aut de sua communitate detrahentem, plerumque tenetur ad restitutionem famæ suorum, aut suæ communitatis; quia ex officio tenetur providere bono sive spirituali, sive temporali subditorum, secundum quod institutus est Superior in spiritualibus, vel temporalibus, aut in utrisque

simil, ut sunt Superiores Regularium: ergo tenetur ex officio conservare ea, quæ sunt necessaria bono sive spirituali, sive temporali subditorum, qualis est fama; proindeque plus, vel minus tenetur restituere, secundum quod diffamatio plus, minusve nocet huic illorum bono, cui conservando, & promovendo præfatur ut Superior. Hæc nostra responsio bimestris, quamvis non sit communior, videtur tamen nobis verior. Hinc inferes, Magistratus, qui tolerant libellos famosos contra suos cives, & illorum auctores ad restitutionem non cogunt, ipsos in eorum defectu teneri ex justitia restituere. Quantum autem ad detractioes privatas usus invaluit, ut earum auctores ad restitutionem non cogant, nisi parte læsa exigente, & diffamatore deficiente in probatione criminis.

Petes 3. Utrum hæredes diffamatoris defuncti teneantur loco ipsius ad restitutionem? R. Teneri ad restitutionem damnorum realium ex diffamatione secutorum; quia hæc obligatio est realis, & afficit bona defuncti, non secus, ac alia debita realia. Non teneri autem ad restitutionem famæ, communis est sententia; quia hæc obligatio est merè personalis, & non est ad aliquid dandum, sed ad aliquid agendum: sicut obligatio, quam quis ex voto contrahit visitandi limina Apostolorum, non transit ad hæredes, quia est personalis.

Si dicas, quod juxta Sententiam probabiliorum, quam infra amplectimur, quando fama non potest restitui, debet compensari in pecunia; debitum autem pecuniarium non est merè personale, sed afficit bona, & transit ad hæredes: unde, quamvis hæres non teneatur retractare, quod infamator defunctus dixit, quia talis restitutio est personalis, tenetur tamen compensare in pecunia ex bonis defuncti. Ita probabiliter tenet Sylvius post Navarr. & Medin. R. Id quidem esse omnino probabile per se loquendo, si diffamatus hanc pecuniariam compensationem exigeret; at exigere non solent diffamati, eò quod inde plus diffamarentur, quasi famam venalem haberent, ut dicam infra: & idè nostra responsio vera est secundum communem praxim.

Defuncto autem diffamato restituendam esse famam a diffamatore superstitè, constat ex supra dictis; quia fama vivit post mortem, & defunctus censetur moralitè habere jus ad illam: imò ejus restitutionem tenetur quandoque urgere hæres, quamvis fortè eam remittere non possit, quia in ea non est hæres.

§. II. Quomodo Fama est restituenda?

Sicut diversimodè fit diffamatio, nimirum falsum dicendo, & injustè revelando verum, sed occultum, ita diversimodè fieri debet restitutio. Undè dico 1. (*Ibid.*) Qui alterum diffamavit falsum dicendo, debet retractare, quod dixit, asserens se falsum dixisse, & si opus est ad fidem faciendam, juramentum, & testes adhibere, quamvis diffamando non adhibuerit: quia, qui est causa injusta damni, tenetur illud resarcire omni modo moralitè possibili; iste autem modus est moralitè possibilis: ergo. Non puto tamen, diffamatorem teneri dicere se mentium fuisse, ut multi volunt; quia id est propriæ famæ noxium, & alienæ reparandæ inutile; quid enim prodest diffamato, si noverint auditores me scientèr, & ex intentione fallendi dixisse falsum, modò ipsis constet, me falsum dixisse, sive scientèr, sive ex errore. Postquam autem diffamator asseruit falsum esse, quod dixit, adhibitis etiam, si opus est, juramento, & testibus, si, qui calumniam audierunt, præconcepit malam opinionem deponere nolint, liber erit ab ulteriori restitutione; quia non censetur amplius causa istius pravæ opinionis, sed auditorum malitia, ac pertinacia.

Major difficultas est in modo restituendi famam ablatam per revelationem criminis veri, sed occulti. Pro quo dico 2. (*Ibid.*) Qui injustè alterum diffamavit, revelando crimen verum, sed occultum, tenetur restituere famam in quantum potest, sine mendacio tamen, utpotè quod dicat se malè dixisse, vel quod injustè eum diffamaverit, quod hallucinatus fuerit, quod erraverit, aut quid simile; non enim hi solum errant, qui deviant a vero, sed etiam qui deviant a recto, juxta illud Prov. 14. *Errant, qui operantur iniquitatem.* Sed quia iste modus, licet fortè sufficiat apud simplices, parum prodest apud intelligentes, & astutos, qui potius ex his formulis conjiciunt verum esse crimen, quod non aperte asseritur esse falsum; idè, ubi non sufficit, secundus modus reparandi famam in casu conclusionis, assignatur a Cajetano hic, quem sequuntur Soto, Navarr. Sylvius, & alii plures: nempe tacendo de priori dicto, sæpè laudare, cum veri-